

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2019-2020  
À rendre pour le jeudi 30 janvier 2020

## Version latine n°1 : les Bacchanales

*186 av. J.-C. : arrivées de Grèce par l’Étrurie, les Bacchanales deviennent à la mode à Rome. Au programme, rites initiatiques secrets, excès, orgies, actes de viol et de meurtre. Une affranchie nommée Hispala, qui a assisté à ces cérémonies, est convoquée chez le consul, où elle manque s’évanouir de frayeur avant d’osier révéler ce qu’elle a vu.*

*Longueur LC : intégralité. Longueur LM : 2<sup>e</sup> paragraphe.*

[Tandem confirmata, [...] magnum sibi metum deorum, quorum occulta initia enuntiaret, maiorem multo dixit hominum esse, qui se indicem manibus suis discerpturi essent. Itaque [...] hoc consulem orare, ut se extra Italiam aliquo amandarent, ubi reliquum uitae degere tuto posset. Bono animo esse iubere eam consul, et sibi curae fore dicere ut Romae tuto habitaret.]

Tum Hispala originem sacrorum expromit : primo sacrarium id feminarum fuisse, nec quemquam eo uirum admitti solitum. [...] Pacullam Anniam Campanam sacerdotem omnia, tamquam deum monitu, immutasse : nam et uiros eam primam filios suos initiasse, Minium et Herennium Cerrinos ; et nocturnum sacrum ex diurno, et pro tribus in anno diebus quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse. Ex quo in promiscuo sacra sint et permixti uiri feminis, et noctis licentia accesserit, nihil ibi facinoris nihil flagitii praetermissum. Plura uirorum inter sese quam feminarum stupra esse. Si qui minus patientes dedecoris sint et pigiores ad facinus, pro uictimis immolari. Nihil nefas ducere, hanc summam inter eos religionem esse. Viros, uelut mente capta, cum iactatione fanatica corporis uaticinari ; matronas Baccharum habitu crinibus passis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim, demissasque in aquam faces, quia uiuum sulphur cum calce insit, integra flamma efferre. Raptos a dis homines dici quos machinae inligatos ex conspectu in abditos specus abripiant ; eos esse qui aut coniurare aut sociari facinoribus aut stuprum pati noluerint. Multitudinem ingentem, alterum iam prope populum esse : in his nobiles quosdam uiros feminasque. Biennio proximo institutum esse ne quis maior uiginti annis initiaretur ; captari aetates et erroris et stupri patientes.